



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica Recapitulatio

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

Vigesima quarta Octobris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9477**

que sudore ac sana doctrina Coloniensium Burdegalensium, Tungrensium, vicinorumque ecclesiarum, ab infestatione Arianae hæresis sunt defensæ.

Scriptum est porrò in historia S. Euergisli, Euphratam Ariani dogmatis zizania Tungris tritico sanæ doctrinæ superseminasse. Contra quæ episcopus laborans inibi puerum Euergislum, cuius virtutum primitias mirabatur, ad se recepit. Quem etiam in Coloniensi sede successorem accepit.

### Vigesima quarta Octobris.

#### 1<sup>o</sup>. De sancto Seuerino Treuirensi episcopo.

*Ex catalogo episcoporum.*

**T**Reuiris, sancti Seuerini primi episcopi & martyris, qui cum Treuirensi ecclesia Tungrensem quoque, nondum ab ea diuisam administravit.

Addit Placentius ( quod vnde habeat ignoro ) eum fuisse filium Messeronis, Comitis Louaniensis. Huius natalis est vigesima quarta Octobris: sancti autem Seuerini secundi, vigesima prima Decembris.

#### 2<sup>o</sup>. De sancto Euergislo episcopo, martyre Tungris.

*Ex historia ecclesia Tungrensium, à surio edita.*

**C**Olonia. natalis S. EVERGISLI episcopi Coloniensis, & martyris, archidiaconi & successoris S. Seuerini episcopi.

Qui Tungris natus, martyr fuit, & tumultatus. Locus vbi latrones eum occiderunt, nominatur *die grouwel-steegh*. Habetque festum duplex in ecclesia

ecclesia Tungrensi. Sed inde est nono Calendas Martij, per Brunonem episcopum, fratrem Ottonis Imperatoris translatus Coloniam, ad sanctam Cæciliam.

Cap. 61.

Memorable est quod scribit in gloriam martyrum Gregorius Turonensis, Ebergisilum nostrum, dum validis doloribus medij capitis quateretur, diaconum misisse pro pulvere ad puteum martyrum Thebæorum: & exinde cum caput attingisset, dolore omni liberatum esse. Recensetur etiam inter episcopos Tungrensis diœcesis, eo quod Tungris fidei calore inflammatus intrepidè prædicauerit contra fœtorem idololatriæ. Est autem Tungrorum oppidum antiquitatis memoria celebre in territorio Leodiensi sub dominio episcopi. Historiam vitæ & translationis edidit Surius, tomo quinto.

### Vigesima octaua Octobris.

#### De sancto Dodone confessore.

*Ex historia manu-scripta Lobijs ac alibi, & rescripto patrum Lobiensium.*

**F**Aniæ, depositio beati DODONIS monachi, discipuli S. Vrsuari episcopi. Qui in pago Lomacensi, in villa quæ dicitur Vallis, religiosos habuit parentes, à quibus ad sanctum Vrsuarum Lobiam delatus est vt sacri baptismatis vnda purificaretur, atque vt proprius eius filius, in Dei obsequio educaretur. Fultus igitur superni regis præsidio, & beati Vrsuari salutifero animatus hortatu, iam prouectior omnem suæ hæreditatis possessionem, beato principi Apostolorum dele-  
gavit, 12